

A D D E N D A.

A D P R O M E T H E U M.

V. 2. Reisigius in censura, quae in praefatione indicata est, p. 225. lectionem ἄβροτον praefendam censet, quia rariora vocabula amet Aeschylus, quia magna sit hujus lectionis auctoritas, et quia hoc vocabulum unice aptum sit poetae consilio, ut Prometheus, hominum amicus, ab hominibus sejunctus ostendatur. Sed horum nihil est, quod aliquam probandi vim habeat. Nam rariora vocabula apud Aeschylum praefenda esse, id quidem verum est, sed haec ratio iis tantum locis adhiberi potest, ubi codices in duobus vocabulis, *idem significantibus*, variant, quorum alterum usitatus, alterum rarius est; nostro autem loco, quum variis lectionibus ἄβατον et ἄβροτον diversa vis insit, ista raritatis ratio nihil prorsus momenti habet. Auctoritatem deinde si spectamus, vulgata lectio profecto multo majorem habet, quum in codicibus et editionibus antiquis omnibus nec non apud Synesium et Aristophanis scholiastam exstet, altera autem lectio ne in uno quidem codice compareat, nec nisi grammaticorum quorundam testimonio nitatur. Tum neque illud, quod tertio loco attulit Reisigius, ullam vim habet. Nam quos argumento adfert versus p. 21. 22., eam, quam vult, vim habere non possunt, quia non oppositum est id, quod ad illam sententiam exprimendam opponi debuisset, et quia a Vulcano, Promethei amico, proferuntur, qui his verbis eam designat conditionem, quae alii cuivis homini non minus quam Prometheo tristissima foret. Probaret aliquid φιανθρώπων v. 11., si v. 6. praecessisset πέτραις ἀπανθρώποις vel simile quid, quod profecto posuisset poeta, si id voluisset, quod putat Reisigius. Omnium minime autem haec sententia primis